

erectum est juxta urbem præsidium: inessæ undique viæ, ne commeatus, arma, subsidia ulla inferri possent. Missique ob hoc ipsum in Pannoniam legati, Joannes Barbus, & Thomas Mocenigus, uterque Divi Marci Procurator: Sicensem causam aliquamdiu altercatione jactatam, Pannon Venetusque ad Joannem Romanum Pontificem cognoscendam delegarunt. Sed dum ea cognoscitur, Marfilius Carrarius & Brunorius Scala, qui tum in Germania erant, per literas fidosque internuncios, amicos uterque suos ad defectionem sollicitant: habebatque ea res Venetorum animos vehementer sollicitos. Demum ex literis, quæ casu interciderant, cognitum est, paulo post Marfilium Patavium venturum, cujus recipiendi facta erat illi spes a quibusdam rerum novarum cupidis. Captus ex fontibus unus, scelerisque convictus in quatuor est partes dissectus. Inde alius ex Ferraria ad supplicium retractus, ad geminas columnas est truncatus. Ferunt fuisse conjurationis illius plerosque alios conscios: sed satius visum Patribus, ultionem in aliud tempus differre, interim satis Reipublicæ cautum rati, si, Patavinis & aliis in officio retentis, tyrannos ipsos procul Italia periculi metu arcerent: quina aureorum millia in utrunque caput ex publico percussoribus decrevere.

Sub id tempus procella ingens circa Augusti idus cum pluvia & grandine tanto impetu coorta est, ut pleraque navigia, alia fluctibus obruta, alia suburbanis allisa littoribus, perierint. Multa ad hæc ædificia, privata & publica, & in his turris quæ est ad Dominici Corporis fanum, ruinam ingentem traxisse dicuntur: arbores solo avulsas remotioribus locis vis ventorum afflixit. Res in prodigium versa: auxeruntque metum monstruosæ rerum formæ, quas medio strepitu sibi obversatas quidam vulgo prædicare. Duobus post mensibus Venetias allatum, Scythas Tanaim emporium cum multa Christianorum cæde expugnasse, direptisque negociatorum rebus, omni humano cultu pene desolatum reddidisse: multos ad id Veneti nominis cum preciosissima merce a barbaris oppressos.

Con-

*Tempestas
fœdissima
subito stre-
pitu, terris
& aqua o-
mnia circa
urbem tur-
bat.*

*Scythæ Ta-
naim occu-
pant.*